



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

V. An Societas Iesv sit per se religio Clericorum, non solùm habitu, sed
etiam re ipsa; & quasnam proprietates inde consequatur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)

ita decuit eorum habitum nihil aliud significare, quam clericos religiosè & sanctè viuentes, ex vi sue professionis. Vbi merito accommodari potest, quod in Concil. Aquifrag. sub Ludouico cap. 129. reprehenduntur canonici regulares habitu monachorum videntes, cum eorum habitum usurpare non debeat, à quorum proposito quodammodo distant. Maxime verò contra quoscunque detractores accommodari potest, seruata proportionè, can. 12. Conc. Gangren. qui refertur 30. d. *Si quis putauerit sancto proposito (id est, continentia) conuenire ut pallio utatur, ita quam ex eo iustitiam habuerit, & reprehendas, vel iudices alios, qui cum reuerentia birrâ viuunt, & alia veste communi, qua in usu est, anathema sit.* Erat autem birra vestimenti genus, quo clerici, & canonici regulares utebantur, vt colligitur ex ferm. 2. ad clericos communem vitam agentes; alias 53. ad fratres in Eremito inter opera Augustini, quoque monachi vt nō poterant, sed pallio, quo colla, & humeri tegebantur, vt est apud Calsian. lib. 1. de instit. renunc. ca. 7. Sicut ergo monachi videntes pallio, aut habitu suo, clericorum habitum etiam in religionis reprehendere non debent: ita etiam Societas retinens sacerdotum vsum, nō propterea contemnit, aut improbat vsum religionum monachalium, seu monachorum, nam sicut nulla earum censetur reprehendere, aut contemnere alias, eo quod distinctum habitum à ceteris assumat, quia vnaquaqueque habet sanctas, & pias rationes, & Spiritus sanctus est multiplex, & vnus; ita nec Societas alia sancta instituta reprehendit, ex eo quod communi habitu clericorum contenta fuerit. Quid autem referret hoc esse nouum etiam si id concederemus? non enim omnem nouum reprehensibile est, si noua occasione & conuenienti ratione fiat, sine vilo antiquitatis præiudicio. Sic enim etiam fuit nouus vnusquisque religionis habitus, quando primum illa instituta est. Nego tamen id fuisse nouum; statim enim ostendā religiones clericorum fuisse antiquissimas, & in principio non est verisimile, vel saltem non constet vfas fuisse habitu distincto à communi clericorum habitu, sed solum in illo magnam decentiam, & honestatem seruasse.

V. Societatis habitus qualem deligerit Ignatius.

Addo denique, quamuis inter religiones clericorum aliqua sint, quæ aliquo proprio, & peculiari insigni in exteriori habitu vtrantur, vt patet in canonicis regularibus, hoc ipsum (non sine magna, & prudenti ratione, considerata temporum opportunitate, & principali Societatis intentione) prætermisum esse, & propterea quoad habitum accepisse Societatem solam decentiam, & honestatem eius cum omni modestia, ac verborum, actionum, sensuumque omnium moderatione coniuncta; Cum enim talia essent tempora, vt hæretici monachos maximo odio prosequerentur, & ideo illorum habitum, & quemcumque habentem cum illo similitudinem, vel affinitatem, inuisum, & odiosum haberent, & Societas cuperet etiam ipsos hæreticos lucrari Christo, noluit noua alicuius habitus specie eos offendere, sed hoc, quod de se indifferens erat, vitare, vt ita faciliorem haberet ad eos aditum: nam hac ipsa de causa monachi etiam, non nisi mutato externo habitu ad hæreticos penetrant. Quæ ratio non solum ad hæreticos, sed etiam ad omnes alios seruata proportionè applicari potest: nam etiam hæc religio fideles, & catholicos, imò illos maxime (iuxta Apostoli consilium 1. Corinth. 9. ad Galat. 6.) lucrari cupit, & ideo etiam in exteriori habitu voluit quantum honeste potuit communem modum seruare, vt apud omnes minus alieni, & extranei esse viderentur. Ad prædicandum etiam inter Gentiles, hic habitus visus est magis accommodatus, quia filij magis accommodantur ad eos, quos etiam in exteriori habitu similiores parentibus re-

Franc. Suar. de statu relig. Tom. IV.

cognoscunt: Vt ergo hi, qui denuo conuertuntur ad fidem, pastoribus, & presbyteris, per quos communiter gubernari debent, magis afficiantur, conueniens fuit, vt ministri per quos erant conuertendi, & regenerandi, communi clericorum habitu vterentur. Atque hæc est potissima ratio, ob quam hæc religio in his, quæ ad exteriorem speciem pertinent, communem quandam viuendi rationem tenuit, vt sub illa, (quæ alias per se perfectioni propria non derogat) facilius posset omnes lucrificare; imitata in hoc Christum Dominum, qui vt peccatores lucrificaret, cum peccatoribus manducauit, & bibit; de qua re in sequentibus redibit sermo. Vt autem in hoc communi habitu debita perfectio seruaretur, tria monuit B. Ignatius 6. p. Constitut. cap. 2. §. 15. *Primum, vt honestus ille sit. Alterum, vt habitus clericali loei, in quo viuatur, sit accommodatus. Tertium, vt reali Societati professioni pauperum non repugnet.* Ex quibus primum, & tertium, omnibus religionibus communia sunt, vt supra dixi, quia id in generali ratione perfectæ virtutis fundatur. Secundum magis est Societati proprium, sequiturque iuxta rectam prudentiam ex ipsa ratione communis habitus, & sine eius. Cui consonat illud Augustini lib. 3. doctrinae Christianæ, cap. 12. *Quisquis eorum præteruentibus restrictis vitiis, quæ se habent mores eorum, cum quibus viuunt, aut temporalium aut superstitiosus est: quisquis vero sic eis vtitur, vt meas consuetudinis bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significet, aut flagitiosus est. In omnibus enim talibus non vsum rerum, sed libido vitiis in culpa est.* Eandemque sententiam habet Gratian. §. vicim. d. 41. & assert verba Augustini paululum immutata, melius illa retulit c. 1. eiusdem distincti. Atque in eandem sententiā videri possunt quæ notant Gloss. in c. si quis virorum 30. d. & in principio 21. q. 4. & in cap. Clerici. 2. verbo deauratis. de vita & honest. cleric. vbi bene Panorm. numer. 17. & optimè omnium D. Thom. 2. 2. quæst. 169. art. 1. & alia congerit Tiracq. de legib. connub. l. 3. n. 17.

Secundo sequitur ex dictis. Quamuis religio hæc quoad suam peculiarem regulam, & institutionem noua esse videatur; quoad substantiam verò etiam specificam, esse antiquissimam, & esse veluti quandam instaurationem eius, quæ omnium prima fuit. Hoc possumus breuiter declarare ex aliquib. principiis in tract. præcedente lib. 1. cap. 7. demonstratis; ostendimus enim clericorum religionem in genere loquendo, antiquiorem esse religione monachorum; nam illa prior, & in Apostolis incepit, & per eos deriuata, & quasi continua traditione conseruata est. Religionem autem monachorum postea inceperunt. Nam licet vulgare sit monachos ab Helix tempore incepisse, & Ioannem Baptistam monachatum professum fuisse; tamen, vt supra dixi, id magis intelligendum est de vfu operum pertinentium ad illum statum, vt sunt solitudo, vitæ asperitas, contemplatio, quàm de proprio statu quoad integram formam substantialem eius, secundum quam proprius est euangelicæ legis, & Christum habuit institutorem. Quæ omnia citato loco ostensa sunt, simulque probatum Christum, non solum fuisse institutorem status religiosi, vt sic, sed etiam factorem cuiusdam particularis religionis, quæ in Apostolorum collegio primum creata fuit, & postea in aliis discipulis fuit propagata. Illam ergo dicimus fuisse primam religionem clericorum; quia non solum ex sacerdotibus à sui initio, congregata est, sed etiam per se primò fuit à Christo instituta, ad actiones hierarchicas purgandi, illuminandi, & perficiendi homines, quæ sunt propriæ actiones clericali status. Quod intelligi potest ex vocatione Christi Matth. 4. *Venite post me & faciam vos fieri piscatores hominum.* Quod & ipsi Apostoli cognoscebant, cum dicebant Act. 6. *Non est æquum nos relinquere verbum.*

VI.
2. Corol.

Declaratur
hoc corollarium.

bum Dei, & ministrare mensis. Huc etiam spectat ille modus vocationis Christi Matth. 8. & Luc. 9. *Sequere me, & statim, Sine, ut moriui s'p liant mortuos suos; tu autem vade, & annuntia regnum Dei.* Fuit ergo illa religio ex proprio, ac peculiari fine religio clericorum.

VII.
De antiqui-
tate canonico-
rum regu-
larium va-
rietas.

Verumtamen, quamuis status religiosus continuè postea in clericis conseruatus sit etiam per se, quoad religionem clericorum; non tamen mihi constat fuisse conseruatum in ordine ad illum particularem finem, seu quoad actiones, quæ versantur circa corpus Christi mysticum; seu quoad illas, quæ versantur circa corpus Christi verum, quomodo dixit D. Thom. 2. 2. quæst. 189. art. 8. ad 2. religionem clericorum regularium per se esse religionem clericorum; quia directè ordinatur ad eas actiones, quæ in diuinis mysteriis perficiuntur: de qua religione licet communiter censeatur à D. Augustino incepisse: multi tamen existimant Augustinum potius fuisse restauratorem, & reformatorem illius, quæ iam antea erat ab Apostolis deriuata. Quod sentit Vincentius in speculo historiali lib. 26. cap. 51. Nauclerus in chronographia volumin. 2. generatione 42. qui dicunt canonicos regulares ex Apostolorum institutis originem trahere, & sumitur ex Benedicto XI. in procemio ad constitutiones canonicorum regularium. Quinimò illum ordinem iam inde ab Apostolis incepisse dixit Nauar. tractatu 4. de regularibus, cap. statum 29. quæst. 3. numer. 8. qui id colligit ex sententia Pij IV. quam ibi refert, lata in fauorem canonicorum regularium contra monachos S. Benedicti, in lite de iure prædicandi, & quâuis in priori sententia solùm dicatur, *De erno, & declaramus canonicos regulares vti clericos, &c.* vbi non titulo antiquitatis, sed titulo clericatus eos præfert; tamen habet illa sententia fundamentum in eo, quod suprà diximus, religionem clericorum in Apostolis fuisse institutam. Vide Roserum de religione Ecclesiastica, tract. 34. cap. 3. Ioannem de Nigra Valle in Epilogo chronicorum lib. 13. cap. 8. Robertum, tract. de tuendo coelibatu. tom. 2. tit. de ordinum primordiis. Volater in tropologia lib. 21. in principio. Antonin. 2. p. histor. tit. 15. cap. 16. §. 7. Non tamen satis certò constat religionem clericorum perpetua traditione, & absque interruptione vlla fuisse continuatam vsque ad Augustini tempora. Et aliqui reuocant in dubium, an à tempore Augustini vsque nunc hic ordo regularium canonicorum continuè durauerit. Alij distinguendum putant inter canonicos cathedrales, & regulares, vt de varietate religionum dictum est tractatu præcedenti. Quidquid verò circa hoc sentiatur, hic ordo dicitur cepisse in Apostolis, quatenus ordo clericorum per se in illis incepit, & ex parte retinuit finem illius Apostolicæ religionis, scilicet, quoad actiones, quæ pertinent ad diuina mysteria, diuinamque contemplationem. Ad eundem ergo modum non ineptè dicere possumus S. Ignatium non tam nouam religionem instituisse, quàm eam, quæ in Apostolis fuit, etiam quoad proprium finem eius, scilicet, Euangelij prædicationem, ac fidei propagationem, & defensionem, instaurasse. Nā licet verum sit, illum religionis modum, cum illo particulari fine, & medijs illi proportionatis, non fuisse cōtinua successione conseruatum in Ecclesia (quia certum est tempore, quo vixit B. Ignatius, nullam talem religionem clericorum fuisse in Ecclesia: quanto autem tempore post Apostolorum tempora durauerit, incertum etiam est) nihilominus videtur planè B. Ignatius excitasse religionem illi simillimam in his, quæ substantialia sunt; scilicet in fine, & medijs, atque adeò in modo viuendi, & imitandi Christum in ordine ad salutem animarum. Nam sicut Apostoli professi sunt, se relinquere omnia

Rediunt ad
institutum
eorum.

propter Euangelium prædicandum, ita etiam huius religionis alumni: Et sicut illi ad hunc finem peculiariter se Christo consecrarunt, vt quocunque vellet, eos mitteret ad salutem animarum procurandam, & post Christi mortem in eadem obedientia sub Petro permanserunt: ita etiam hi ad eundem finem se Vicario Christi deuouent. Ac denique sicut illi ob hanc causam Christum in exteriori vitæ genere communi, & in peregrinationibus continuè pro salute animarum imitati sunt; ita & huius dicit Pius IV. in 1. bulla sua. *Si nomen Iesu. Imitantur, i. ta opere, doctrina, & exemplis Domini nostri Iesu Christi imitantur, & eius vestigia sequuntur.* Ex quo principio ratio multarum rerum reddi potest, quæ in Societate aliquibus noua videntur, re tamen vera, noua non sunt, sed renouata, aut ex illa prima antiquitate repetita, vt tali fini, & tali modo religionis accommodata.

Terriò, ex his faciliè soluitur ratio dubitandi in principio tacta; & quomodo non obstat dictæ resolutioni, plures esse in Societate non clericos. Nam in huiusmodi statu considerandum est id, quod est per se, non verò quod per accidens, vt D. Thom. dixit. Adde etiam considerandum esse id, quod est ratione sui, & quod est ratione alterius; nam ab eo quod est per se, seu gratia sui, sumitur denominatio, & quasi species religionis, quæ clericorum esse dicitur. In Societate ergo status clericorum per se est, & gratia sui, vt explicatum est, & ideo ad solennem professionem non nisi sacerdotes in ea admittuntur, vt dicitur etiam in examine cap. 1. §. 8. vt lib. 6. cap. 1. nu. 4. afferemus. Illi verò, qui clerici non sunt, duobus modis in Societate recipiuntur, primo vt in ea disponantur ad sacerdotium, & ad illum gradum Societatis, qui sacerdotium requirit, iuxta illud Hieronymi epist. 4. ad Rufinum: *I. auge in monasterio, vt clericus esse merearis, vt adulescentiam tuam ualida sorte commaculas, &c.* Et ideo manifestum est non esse præter institutum religionis clericorum; hæc intentione recipere plures, qui clerici non sunt, alius conseruari non posset, nec sacerdotes habere, qui pro dignitate sacerdotale munus exercerent prout religiosos decet. Secundo modo recipiuntur laici in corporale, seu temporale sacerdotium adiutorium, quia vel non expedit, aut decet omnia hæc munera per sacerdotes exerceri, vel non expedit sacerdotes impediri à verbo Dei, & ministrare mensis, vt dicitur Act. 6. tractabiturque inferius in lib. 7. cap. 3. à num. 2. Vnde opposita ratione contingit in religionibus clericorum, & monachorum: nam in illis iuxta antiquam, & primæuam institutionem, per se erant laici, clerici vero vel assumebantur, vel fiebant quantum necesse erat, ad spirituale regimen, vel adiutorium aliorum, vt in tractatu superiori visum est. In hac autem religione clerici sunt per se, ac ex primæua institutione; laici verò assumuntur quantum necesse est ad temporale adiutorium, vel sacerdotum, vel reliquorum etiam, qui ad sacerdotum tendunt; nam hi etiam propter suorum laborem temporalijs ministerijs ex professo vacare non possunt. Quartiò, & vltimò posuimus ex dictis coniecturam facere perfectionis huius instituti; sed de hoc paulo inferius in cap. 7. dicetur commodius.

CAPVT VI.

Utrum Societas contemplatiua, vel actiua, ut tam amplectatur.

Distingimus in superiori tractatu cum D. Thom. 2. 2. quæst. 188. tres ordines, seu species religionis; cum enim omnes tendant ad perfectionem charitatis, quædam illam quarunt per viam dignitatem